



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebvs Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

5 De Meditationis excellentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](#)

tas' res pias & salutares in meditatione nostra perpendisse , aut sancta aliqua desideria & proposita concepisse, sed præterea necesse est, ut manibus ea teneamus , id est , in executionem & opus deducamus.

De meditationis Excellentia.

C A P. V.

DE C R E V I hoc loco tantum huius modi Orandi excellentiam patefacere & naturæ eius nobilitatem ; tum duos præstantiores eius effectus exponere , quos in meditatoribus solet producere . Ac de naturæ quidem præstantia differam hoc capite : de effectibus proxime sequenti .

DI C I solet Meditationem esse quandam quasi beatitudinem , licet imperficiam , ac proinde & illud dicitur , ea quodammodo in hac vita homines effici beatos , quod apertius declarabo , ubi duo possum fundamenta .

PRIMVM est , tam intellectum , quando rem aliquam perpendit , quam voluntatem dum eandem amat arctissimo inter se vinculo coniungi , licet dissimiliter Nā quādo intellectus rem quamquam considerat , ei se coniungit , velut attrahendo eam ad se per

B 5 medium

26 INSTRVCT. DE MODO

medium imaginis vel speciei / vt ita loquamur, haud secus, quam dicitur coniungi speculo is, qui illud inspicit, nam imaginem tuam ei imprimit. Sicut ergo speculum certo quodam modo loquendi, est is, qui illud inspicit, eo quod imaginem eius reddat: sic intellectus quadammodo fit res intellecta, quia speciem eius continet. Vnde Aristoteles libro de anima tertio ait. *intellectus est aptus omnia fieri.* Contra, voluntas, quando rem aliquam amat, coniungit se illi, transundo ad illam. proprietas siquidem amoris est, amantem cum re amata coniungere: quod diuina Scriptura libro primo Regum metaphora glutinis explicavit. *CONGLUTINATA est, inquit, anima leti- natha anima David.*

I. Reg 18

Ioan. 17.

Gal. 16.

ALTERVM fundamentum est, perfectam & totalem beatitudinem, vt qua fruuntur Sancti in cœlo, consistere in dictis duabus vñionibus, vel coniunctionibus cum Deo. De intellectu id affirmat ipse Deus filius apud B. Ioannam, dicens. *Hac est vita aeterna, vt cognoscant te Deum Verum, & quem misisti filium tuum.* ubi nota vocent **C O G N O S C A N T**, nam cognoscere, est actio intellectus propria. Voluntatis autem actionem inquit David propheta, cum dixit.

SATAN

MEDITANDI PARS I. 27

Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Satiandi enim vis ad eandem facultatem, pertinet, ad quam desiderandi. Desiderare autem est proprium voluntatis.

Nunc supereft, vt ostendamus, quo sensu verum sit, Sanctum Meditandi munus, esse quandam participatam Beatitudinem. Dicimus ergo meditationem, ut dictum est, complecti utramque actionem, intellectus & voluntatis, quarum beneficio homo cum re cogitata & amata se unit. Et quia materia ordinaria Meditationis est, vel Deus, vel res diuinæ, consequens est, tam intellectum, quam voluntatem Meditantis coniungi Deo, & certo modo effici diuinam, atque hominem paruum quandam Devum, sicut accidit ferro, quod ubi perfecte fuerit inflatum totum videtur conuersum in ignem. Perspicue ergo liquet sacram meditationem esse quandam quasi beatitudinis particulam, qua hominē, quo tempore meditatur, faciat quadtenuus fœlicem & beatum.

Hanc geminam unionem indicauit S. Ioannes his verbis mysterio plenis. *D e u s 1. Ioann. 4. charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. mediante namque voluntatis anima commoratur in Deo, & mediante-*

28 INSTRVCT. DE MODO

mediante notitia intellectus Deus commoratur in illa. Ac ne forte per incuriam parui facias dictas vniōnes, existimans non esse coniunctionem admodum astrictam & intimam, scias illam intellectus vniōnem tantam esse, ut nonnulli in abominandum illum errorem lapsi sint, ut arbitrarentur D E V M nullam habere curam vel prouidentiam rerum in hoc sublunari mundo conditarum, *Vilesceret enim aiunt, diuinus intellectus*, sed grauiter hallucinati sunt. Si enim diuina Maiestas Soli impertiuuit eam vim, ut etiam si radiis suis loca fœdissima illustraret, nihil tamen ab iis inquinaretur, cur sibi eam substraxisset? Imo quo amplius omni genere perfectionis D E V S Sollem antecedit, hoc perfectius eadem virtus, hoc est, ut nullo rerum creatarum, quas cognoscit & dirigit, vitio afficiatur, in Deo inuenitur.

Similiter voluntatis vniō tam arcta est, ut longe superet rerum conglutinatarum connexionem. Hæc enim ita res duas coniungit, ut unaquæque per se subsistat: at quoniam amor amantem quasi in re amata tam transfert, videtur amans non amplius esse in se, sed tantū in re amata, atq; id prorsus est, q B. DIONYSIVS Areopagita in libro de

Diony.s.

4.

de diuinis nominib. scribit, *Amorem facere extra se*, hoc est, vthomo sit extra se.

Diximus adhæc Meditationem esse qua-
si beatitudinem imperfectam, & merito.
Primo, quia non possumus continenter
meditari. Secundo, quia illam multis ex-
ternis cogitationibus, & distractionibus
inquinamus. Tertio quia sæpenumero fati-
gatur corpus, & mens fastidio obruitur.
Beatis autem in cælo horum omnium
contraria eueniunt, siquidem supremam
illam Maiestatem nulla interueniente in-
terpellatione, perfectissima attentione, fa-
tigatione & tædio nullo, imo summo cum
gaudio & voluptate in æternitatē omnem
contemplantur.

*De binis præstantibus Meditationis
effectibus.*

C A P . V I .

B. DIONYSIVS asserit inter omnia bo-
næ opera, quæ ab homine præstari
queunt, nullum eis præstantius, conuer-
sione, vel sanctificatione animarum, imo
adiungit hoc genere operis eum adiuuare
quasi ipsum Deum auctorem effectoremq;
primarium omnis sanctitatis. Dico itaque
utrumque Meditationis effectum esse 'ex
hoc